



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

107. Cum in iis, &c. Concessio Vineæ in loco Pariolo Sacræ Congregationi  
de Propaganda Fide, & fundatio Alumnatus pro Juvene Nationis Epiri, seu  
Albaniaë ab eadem Congregatione nominando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

ANNO 1704.

1708

in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque, & non aliter in praemissis per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, ejusque Provinciarum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore mansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Die 11. Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Oliverius.

CVII.

CONCESSIO

Vineae in loco Pariolo Sacrae Congregationi de propaganda Fide, & fundatio Alumnatus pro Juvene Nationis Epiri, seu Albaniae ab eadem Congregatione nominando.

CLEMENS PAPA XI.

Urbs motu proprio.

Cum in iis, quae ad Divinum Cultum, Sanctamque Catholicam Religionem ampliandam, conservandamque pertinent, non tam operis initium, quam illius firmitas, perpetuitateque spectanda sit; Nos praecipuas muneris nostri partes esse intelligimus, nedium spiritualibus Piorum institutorum ad id tendentium incrementis peculiariter studio admitti, verum etiam temporalibus illorum commodis, & tranquillitati prospicere, quos Divina Bonitas ad Sacrum Evangelicae Praedicationis, Fideique propagationis Ministerium adlegit, ut tamquam digni Operarii in Agro Domini, cum tempore Messis advenerit, strenue, utiliterque laborent, & uberiorem in sinu Ecclesiae fructum, Deo benedicente, deponant.

S. I. Sanè licet felicis recollectionis Urbanus Papa Octavus Praedecessor noster per quasdam suas literas Apostolicas optimo quidem consilio Collegium, seu Seminarium Apostolicum Pontificium Pastoralis Urbanum nuncupatum pro excipiendis, & alendis Sacerdotibus saecularibus, & etiam Clericis, ad Majores tamen Ordines infra certum tempus promovendis, bonis Moribus Pietate, & sana Doctrina praeditis, ex omni gente, & Natione desumptendis, ad effectum Fidem Catholicam, & Apostolicam in Partibus Infidelium, totoque Terrarum Orbe, etiam cum eorum Vitae discrimine, si opus foret, propagandi, & dilatandi, eamque tuendi, & conservandi in iis locis, ubi jam facta reperitur, creverit, & instituerit, aliasque statuerit, decreverit, & ordinaverit pro felici gubernio Collegii, seu Seminarii, & Alumnorum hujusmodi, ut in praedictis literis super hoc editis plenius, et uberiùs continetur: Experientia tamen compertum est Juvenes istos ex longinquis, ac etiam extremis Mundi partibus ad idem Collegium, seu Seminarium accedentes, Caelique qualitate, ac Vitae etiam ratione inter se ma-

xime diversos, ex assidua in studiis, ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura assueti non erat, graviter affici, & paulatim exinde contrarium aegritudinum causa, aut praemature decedere, aut inhabiles ad labores in missionibus sustinendos evadere, quod non accidit Germanici Pontificii, ceterorum similium Collegiorum à clarè mem: Gregorii XIII. aliisque nostris Praedecessoribus Romanis Pontificibus eorum Alumnis, quorum levamini, quieti, & tranquillitati providè consultum est de aliquo ad amantem factò loco, ubi vacationum tempore, vel statutis horis intermisso studio honestè recreationis causa conveniunt.

S. 2. Hinc propterea Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Negotii Propagationis Fidei praepositorum, quae cogitare, & agere nunquam desinit ea, quae primo dicti Collegii, & Alumnorum bono profutura cognoscit, emptioni alicujus similis loci, seu Vineae propè, & extra Maenia Urbis, ubi Juvenes praedicti sanitatis, vel oblectamenti causa, quandoque recreari, & vires reciperere valerent, pluribus ab hinc Annis studiosè incumbit, & Nos postremò ad hunc effectum scuta quatuor mille monetæ Romanae obtulimus, ut ipsi Congregatio tot expensis Missionum praegravata ab hujusmodi incommodo sublevaretur, sed re ob nascentes passim difficultates hucusque protracta, nam ubi inventa est opportunitas loci, & salubritas aeris, defuit voluntas Dominorum proprias Vineas alienare renuentium, & ubi prompta erat occasio, deficiebant qualitates ad indigentiam exoptatae. Dilectus tandem Filius Noster Petrus Sancti Laurentii in Damaso nuncupati Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus Cardinalis Ottobonus nuncupatus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, atque unus ex Cardinalibus praefatae Congregationis, adeo utilis, & salutaris deliberationis effectum ulterius differri non patiens, mentis, ac intentioni nostrae, & dictae Congregationis adhaerens, nec non Zelo propagationis Sanctae Fidei, & conservandae bonae valetudinis Alumnorum ad manus Apostolicam Divina favente gratia vocatorum ductus, Vineam in Contrada Parioli in eminentiori situ extra muros, praedictae Urbis positam aeris saluberrimi cum Palatio, & aliis Mansionibus de pertinentis Monasterii Abbatiae nuncupatae Sancti Laurentii extra Muros praedictae Urbis Sancti Augustini Canoniconum Regularium, seu alterius Ordinis, cujus ipse Petrus Cardinalis Abbas, seu perpetuus Commendatarius ex Commenda ad sui vitam de praedicto Monasterio eidem Petro Cardinali aliis Apostolica auctoritate facta existit, spontè, obtulit, & re ipsa Vineam praedictam in Manibus nostris spontè, & liberè retentus dimisit, cum reservatione tamen favore Abbatis, seu Commendatarii pro tempore existentis dicti Monasterii, ne eidem Monasterio ex dimissione praedicta magnum inferatur praedictum, alicujus perpetui Canonis, seu annuae responsonis, & cum aliis conditionibus Nobis benevisis, & dicto Monasterio utilibus.

S. 3. Nos itaque, qui primodicti Collegii, & Alumnorum ejus, quorum de praesenti numerus, comprehensivus aliquibus Juvenibus Sueciae Regni, ad quadraginta septem, et accepimus, ascendit, statum prosperum, & tranquillum intensus desideramus affectibus, ob laboriosum, quem ipsi in Vineam Domini praestituri sunt, famulatum, & propter uberes fructus, quos in Agro militantis Ecclesiae haecenus producerunt utiliter, ac producant, & in futurum producturos firma spe tenemus ut iidem prompriosse semper, ac creioresque ad sua officia in dies persolvenda, reddantur, dignum

Oblatio scutorum 4000 ad hunc finem à Sacerdote sua facta.

Cardinalis Ottobonus obtulit Vineam, eamque in manibus Sanctissimi dimisit.

Exordium sumit à bona valetudine Juvenum in Collegio commorantium procuranda.

Narrat Collegii fundationem.

Exponit necessitatem emendi aliquem locum Suburbanum pro honesta d. d. Juvenum recreatione, ducto exemplo ab aliis Urbis Collegiis.

Papa acceptat, & concedit Congregationi de Propaganda Fide.

Reservat ro-  
rum cor sen-  
sum Cardina-  
lis.

Taxat cano-  
nem in scutis  
centum mo-  
netæ cum  
conditioni-  
bus hic ex-  
pressis.

arbitramur, & congruum sollicitudinis nostræ partes in id etiam adjicere, per quod alicui honesto eorum sublevamini, & servandæ corporum saluti consulatur; ea quippe est humanæ naturæ conditio, ut nisi Animus remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum relevet, & relaxat, irremisso vigore lentescens spiritus, cum necessitas poseit, virtuti obsecundare non valeat. Spontaneam igitur æquè, ac piam dicti Petri Cardinales oblationem, ac dimissionem prædictæ Vineæ, ut supra, in manibus nostris factam, & per Nos motu proprio, ac de Apostolica potestatis plenitudine nuper acceptatam, denuo per præsentem acceptantes, & confirmantes accedente tamen, quatenus opus sit novo ipsius Petri Cardinalis consensu, eandem Vineam, unâ cum Palatio, Tinello, cæterisque mansionibus, & Edificiis in quacumque illius parte positis, ac eandem Vineam totam, quanta est, intra suos notissimos fines quos eisdem præsentibus, unâ cum præmissorum valore in proprietate, ac annu's fructibus, & redditibus, omnibusque, & singulis aliis membris Juribus, & pertinentiis haberi volumus pro singillatim expressis, ita ut specialitas illorum generalitati non deroget, in perpetuum motu proprio concedimus præfatæ Congregationi de Propaganda Fide, illiusque fructus, redditus, & provenus, detracto infradicendo Canone, cum aliis illius fructibus dictæ Congregationi unimus, & ad commodum ejusdem Congregationis annectimus, & incorporamus, deque præfata Vineæ, accedente, ut supra, dicti Petri Cardinalis, uti ejusdem Monasterii Abbatis, seu perpetui Commendatarii novo consensu, in perpetuum Congregationem prædictam, etiam pro sublevamine, augmento, & conservatione Alumnorum in prædicto ejus Collegio degentium, investimus; Canonem verò perpetuum seu annuum, & perpetuam responsonem eidem Petro Cardinali, quoad vixerit, & Monasterium hujusmodi obtinuerit & cuicumque alteri ejusdem Monasterii Abbati, seu perpetuo Commendatario pro tempore existenti ratione concessionis, unionis, annexionis, & incorporationis præfatarum annuatim duabus æqualibus solutionis, pro una videlicet in Domini Nostri Jesu Christi à proximè ventura incipiendo, & altere medietatibus Canonis, seu responsonis hujusmodi in Sancti Joannis Baptistæ immediatè sequenti Nativitatum festivitatibus, & sic deinceps perpetuis futuris temporibus de anno in annum, ac de termino in terminum per Congregationem præfatam perfolvendum, seu perfolvendam in annuis scutis centum monetæ Romanæ de Juliis decem pro quolibet scuto, hujusmodi motu pari Apostolica auctoritate taxamus, & reservamus, ac taxatum, & reservatum, seu taxatam, & reservatam, esse volumus, & decernimus, absque tamen ullo prorsus onere solutionis laudemii, seu, ut dicitur, Entraturæ, seu Capisoldi, nec non quinquennii, tam dicti Monasterii, Abbatis, seu Commendatario pro tempore existenti, quam aliis quibusvis Personis, seu Collegiis Romanæ Curie etiam speciali nota dignæ sint, etiam si Officialibus Cancellariæ Nostre Apostolicæ quomodolibet debiti, à qua solutione, quatenus de jure deberetur, dictam Congregationem perpetuò motu simili eximimus, absolvimus, & plenariè liberamus, adjecta quoque reciproca conditione respectu Congregationis prædictæ, nec non Abbatis, seu perpetui Commendatarii dicti Monasterii pro tempore existenti, quod si ipsa Congregatio non perciperet ex dicta Vineæ fructus annuæ responsoni, seu annuo Canonis hujusmodi correspondentes, ac etiam detractis expensis, si nulli prorsus fructus ex grandine, siccitate, aut alio quocumque infortunio, etiam

non cogitato, colligerentur, nihilominus ipsa Congregatio, ejusque Bona ad integrum annuum responsonem, seu integrum annum Canonem, ut supra, taxatam, seu taxatum in perpetuum obligata sint, & ad Canonis, seu responsonis hujusmodi annuam solutionem teneantur, prohibita quacumque spe restauri, remissionis, seu reductionis Canonis, seu responsonis hujusmodi. Et è converso, quod si fructus ex dicta Vineæ colligendi in quacumque summa, etiam ultra dimidiam, seu bessem, annuam responsonem, seu annum Canonem hujusmodi excederent, dicti Monasterii Abbates, seu Commendatarii pro tempore existentes nihil ultra pretendere possint, attento quod dimissionis à dicto Petro Cardinali, ut supra factæ, totum commodum, ac beneficium ad Propagationis Fidei, & conservationis primo dicti Collegii Alumnorum finem dirigatur, & hac lege, ac hinc conditionibus ad concessionem, & investituram hujusmodi devenire Motu simili profitemur.

§. 4. Quibus falvis liceat eidem Congregationi, ejusque Ministris quocumque nomine nuncupatis corporalem dictæ Vineæ possessionem per se, vel alium, seu alios eorum nominibus propria auctoritate, absque spoliis, & attentorum vitio liberè apprehendere, & apprehensam retinere, ejusque fructus, & emolumenta quacumque colligere, exigere, levare, ac in suos, primo dictique Collegii, & Alumnorum in eo degentium usus convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita.

§. 5. Ac insuper, ut Congregatio prædicta gaudere possit commodo, & utilitate scutorum quatuor mille monetæ prædictæ per Nos, ut supra, oblato rum volumus eandem summam quatuor mille scutorum monetæ hujusmodi per Dilectum filium Nostrum Josephum Tituli Sanctæ Mariæ de Traspontina nuncupatæ ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem Scripantem nuncupatum, & Nostrum Prodaturarium, ejusdemque Congregationis Præfectum, deponi in Banco dilecti filii Francisci Monthioni, seu Sancti Spiritu in Saxia nuncupati de Urbe, ad creditum & dispositionem ipsius Congregationis, ad effectum tamen investendi præfatam summam in tot locis Montium Cameralium non vacabilium quorum fructus erogari debeant pro mantentione in primodicto Collegio, seu præfato Seminario unius Adolescentis ex Provincia Epiri, vulgò Albania nuncupata, sub regulis, & constitutionibus ejusdem primodicti Collegii, seu præfati Seminarii recipiendi, & alendi, prout recipiuntur, & aluntur cæteri Alumni, qui ibidem de præfati degunt, & educantur, sublata inter ipsum Alumnum Albanensem, & alios, quacumque prorsus differentia, novumque hujusmodi Alumnatum cæteris usque modò erectis, & institutis motu pari adjungimus, & annectimus, dictique Alumni Albanensis nominationem pro tempore, quoties nominandi casus venerit, postquam tamen sua studia compleverit dilectus filius Petrus Rozovick in dicto Collegio de præfati d' gens, & Nostris sumptibus huc usque ibidem retentus, & educatus, ad ipsam Sacram Congregationem in perpetuum spectare motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus itidem volumus, & mandamus.

§. 6. Decernentes præsentem literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostre, aut alio quopiam defectu notari, argui, aut in controversiam ad quorumvis instantiam adduci, seu via restitutionis in integrum, vel reductionis ad terminos Juris, aut alias quomodolibet revocari, impugnavi posse, nec ex eo, quod præmissa verificata non sint, aut quod ii, quorum interest, ad id vocati, & auditii non fuerint, eandem

Papa scuta quatuor milia ut supra oblata dote pro fundatione Alumnatus Provincie Albanie.

Reservatur nominatio Alumnii eidem Sac. Congregationi.

Decreta roborantia.

ANNO.  
1708.

ANNO  
1708.

Derogatio-  
nes.

litteras per subreptionem obtentas cenferi, & propterea viribus carere, neque Congregationem prædictam, illiusque Ministros ad verificandum præmissa compelli, & teneri, neque ob id nullas, & irritas, ac nullius momenti esse, & fore cenferi, sique per quoscumque Judices &c. etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales &c. sublata &c. iudicari debere &c. irritumque &c. attentari &c. non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii concessionibus perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, ac prædicti Urbani Prædecessoris, nec non recolendæ memoriæ Symmachi, Pauli Secundi, Pauli Quarti, & aliorum Romanorum Prædecessorum Nostrorum de Rebus Ecclesiæ non alienandis, ac Pii Quarti de gratis Camera Apostolicæ interesse quomodolibet concernen. in dicta Camera intra certum inibi præscriptum tempus præsentandis, & registrandis; ita ut præsentem in ea præsentari, & registrari nullo unquam tempore, vel modo necesse sit, ac Beati Pii Quinti, felicisque recordationis Sixti Quinti, & dicti Urbani Octavi, nec non Clementis Decimi, & quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum super solutione Annatarum, & quinquennio quomodolibet editis; nec non aliis quibuscumque Apostolicis etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Monasterii, & Ordinis prædicti, etiam Juramento &c. roboratis statutis, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Monasterio prædicto, illiusque Abbati, & Monachis, seu Canonicis Regularibus, eidemque Congregationi, ac primodictio Collegio, seu præfato Seminario, illius Superioribus, & Personis, & aliis quibuscumque in genere, vel in specie, aut alias in contrarium, sub quibuscumque tenoribus, & formis quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & etiam Nos etiam motu proprio &c. concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus &c. etiam si de illis &c. eorum tenores &c. illis aliis &c. manserint ad præmissorum validissimum effectum motu, & scientia paribus specialiter, & expressè derogamus, caterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis. *Fiat motu proprio I. F.* Et cum absolute à censuris ad effectum &c. & quod dictæ Congregationi, seu primodicti Collegii, vel Seminarii alia concessionibus, applicationibus & gratiæ ei, illiusque Alumnis quomodolibet concessa habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, & de Vineæ prædictæ concessione Congregationi hujusmodi, seu primodictio Collegio, vel Seminario prædicto; nec non de assignatione, & donatione quatuor mille scutorum monete hujusmodi, ad effectum reinvestiendi, ut supra, sub lege tamen, & conditione fructus ex investimento hujusmodi proventuros integraliter erogandi ut supra; nec non de perpetua reservatione Juris nominandi, & eligendi Alumnum ex Provincia Epiri modo, & forma superius expressis, cum Decreto, Derogationibus, aliisque præmissis, ut supra, in literis latissime extendendis, & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam denominatorum, qualitercumque nuncupatorum situatio, aliorumque necessariorum major, & verior, specificatio, & expressio fieri possit in literis in forma gratiosa, & cum clausula perpetua, & ad perpetuam rei memoriam, etiam per viam de Curia, ut vocant, seu per viam Secretam absque alio signo, vel contrafigno, si videbitur, expediendis, seu si etiam videbitur, Volumus, quod sola præsentis

Nostri Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra, Regula quacumque contraria non obstante quodque præsentium transumptis, etiam impressis, & manu Datarii, seu Prodatarii pro tempore existentis subscriptis, eadem profus fides adhibeatur in Judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ: *Fiat I. F.* Darum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem undecimo Kalendas Julii Anno Octavo cum decreto solius Signaturæ, seu etiam expeditionis literarum per viam secretam, aut de Curia, & quod transumptis manu Datarii, seu Prodatarii subscriptis fides habeatur. A. *Subdatarius.* Registrat. lib. xv. Secretorum fol. 216. A. de Laurentiis. P. Antonettus 25. Junii Piazzinus. Boncompagnus gratis.

Die 27. Junii 1708. Eminentiss., & Reverendiss. Cardinalis Orthonobus S. R. E. Vice Cancellarius novum præstitit consensum ad formam dicti Motus proprii, ac omnia, & singula in eo contenta ratificavit, & approbavit, ut latius ex Instrumento stipulato per acta D. Petrucci Camera Apostolicæ Secretarii.

Ex scutis quatuor mille per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem XI. Pro fundatione Alumnatus Albanensis elargitis fuerunt empta loca 34. Montium nempe 30. ex Monte Sancti Petri v. Erct. ut ex literis patentibus expeditis die 21. Julii, & loca quatuor Montis Restaurati Primæ, & Secundæ Erektionum ex aliis literis expeditis die 16. ejusdem mensis Julii MDCCVIII.

EXEMPTIO

Alumnorum, & Ministrorum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in ejus Collegio, & Palatio commorantium à quibuscumque Juribus Parochialibus Ecclesiæ S. Andreae de Fractis, ejusque pro tempore Rectoris, seu Curati, exceptâ tantum administratione sacramenti Matrimonii.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, licet fel. recor. Urbanus PP. VIII. Prædecessor Noster per quoddam suas super Erektione Collegii, seu Seminarii Apostolici de Propaganda Fide Urbani nuncupati de Urbe Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXVII. Kal. Augusti Pontificatus sui Anno quarto Literas, inter alia dictum Collegium, seu Seminarium, illiusque Oeconomus, Rectorem, Ministros, Præceptores, & Alumnos pro tempore existentes, illorumque Domesticos, Officiales, & Ministros ab omni jurisdictione tunc, & pro tempore etiam existentis sui, & Romanorum Pontificum Successorum suorum in dicta Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalis autoritate Apostolica, exemerit, ipsique Collegio, seu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magistris, Oeconomis, Officialibus, Ministris, & Personis à quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis, & indultis, quibus alia Germanicæ, Anglicæ, & Græcæ Nationum Collegia in Urbe prædicta instituta, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magistri, Oeconomi, Officiales, Ministri, & Personæ quovis modo utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant, & possent quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar sed æquè principaliter, & pariformiter

Fides transumptorum.

CVIII.

Exordium à dispositione Urb. VIII. ad favorem Collegii de Propaganda Fide, ejusque Alumnorum, & Ministrorum.